

6
7

I. N. I.
EXERCITATIONUM PHILOSOPHICARUM
SEPTIMA,
E T
D I S P U T A T I O X I I I .
D E
L I N G V A H E B R Æ A ;

*Cum consensu Ampliss. Fac. Philosophicæ, in Regia
Academia Aboënsi*

Ad disputandum publicè proposita,
P R A E S I D E

M· E N E V A L D O S V E N O N I O ,
Q. Gyldenh. Al. Prof. publico.

R E S P O N D E N T E . .

P E T R O S . P L A T I N O
Wexoniæ Smolando.

*In Auditorio Inf. Majori, ad diem 20. Aprilis, A.g.
2662. horis ab 8. matutinis.*

A B O Æ

Excusa à PETRO HANSONIO Acad. Typ.

*Multifariâ rerum Experiensia Eximie, varijsq' Bellicis
virtutibus conspicue VIR*

DN. NICOLAE JONÆ de Heeda/
Legionis pedestris Præfecte maximè strenue, Me-
cenas omni officiorum promptitudine ætatè suspiciende.

N E C N O N

Plurimum Reverende & præclarissime VIR

DN. M. HAQUINE M. PLATINE, Ec-
clesiæ, quæ in Urshult colligitur, Pastor vigilantissime, Terri-
torij Kinnavallensis Præposite dignissime; Avuncule hono-
ratissime, Patrone Maxime, studiorumq; meorum
promotor ut propensissime, ita perpetuâ ho-
noris observantiâ colende.

U T E T

Venerabiles, Humanissimi, ornatissimi & doctissimi Viri

DN. JOHANNES HERLINE, Pastor in
Byrkia fidelissime, Fautor plurimum honorande.

DN. PETRE CAROLI KELLINGI,
in Urshult Verbi Divini comminister maximè assidue,
benefactor & fautor multis non inibus observande.

DN. ANDREA JONÆ LUNDI, con-
sanguinee & amice per dilecte.

*Vobis Exercitium hoc Academicum ne be-
neficiorum in me collatorum plànè
immemor haberer, indeq; ingratus vi-
derer, officiòse dedicare volui*

P E T R U S S. P L A T I N U S

DE
LINGVA HEBRÆA, CHAL-
DAICA, SYRIACA ET ARABICA.

Propositio

I.

PRIMA & ANTIQUISSIMA OMNIUM LINGVARUM JURE STABITUR ESSE HEBRÆA: QUIPPÈ NEC ANTE IPSAM; NEC, MULTIS POST SECULIS, ALIUS INTER HOMINES SERMO FUERAT. HINC PROFECTUM ILLUD JUDÆORUM NEMINI NON PROTRITUM ELOGIUM EST: *Laschon hachadosch Em col halschonoth*: MATREM OMNIS SERMO LINGVAM VENERATUR HEBRÆAM. PROINDE LUBET DISFERERE BREVITER DE EJUSDEM 1. ANTIQUITATE. 2. DIGNITATE. 3. SANCTITATE. 4. NECESSITATE.

II. 1. ANTIQUITATEM ARGUUNT PRIMÒ NOMINA: VOCATUR HÆC LINGUA *a. Iudaica* 2. REG. 18: 28. *Esa. 36: II.* quia à populo judaico primitus purè usurpata fuit. *b. Cananæa*, *Esa. 19: 18.* Quia ab Abrahamo Eberi Nepote apud Canaanæos ut plurimum versato, exulta & conservata. *c. Leschon Kodesch* i. e. lingua sanctitatis vel sancta, cum quod in eadem mysteria salutis tradita patriarchis, tum quia Deus ipse eâ usus sit. *d. Labium Eleatum*, *Soph. 3: 9.* Et *e. Hebræa*, per syncopen, ab Hebreo Noë pronepote, q: *heberæa*. Ambrosius putat, quod ex nomine *Abram* deducatur, ut *Ebraeus* ponatur pro *Abraeo*: vel quod *Ebraeus* notet *אָבָרְאֵן* seu transitorem, à R. *Abar* i. e. translivit, ut vult *Munsterus*, qui p. 10. statuit: *Non antea vocatum esse Lingvam Sanctam Hebraicam, quam Abraham traxisset fluvium Euphratem.*

E e

III. Ve-

III. Verum Augustinus, quamvis nonnullibi videtur esse in eandem iturus sententiam, dum Tom. iv. in quæst. V. & N. Test. mixtis pag. mihi 186 ait: Si ergo super Abraham vel ipse Abraham hebraus dictus est, sine dubio Hebrei ab Heber nuncupantur: Si autem non legitur super Abraham, dictos hebreos, sed post Abraham, non iam utique ex Heber, sed ab Abraham dicuntur Hebrei: quippe cum filij Abraham primo hoc nomine appellati noscantur: in Genesi n. Ioseph & frater ejus hebrei sunt appellati. &c. Et in quæst. super Genes. c. 24. inquit: Quæritur quare scriptum sit, Sem erat pater omnium filiorum Heber; cum inveniatur Heber quintus Sem filio Noë, utrum ex illo Hebrei dicuntur appellati; per illum enim generatio transit ad Abraham. Quid ergo probabilius sit ab Heber tanquam Hebreos dictos, An Abraeos merito quæritur? Non dubitat tamen alibi priorem opinionem facere expressiorem, ut potè lib. XVI. de civ. Dei c. 3. Non itaq; frustra ait, ipse (Heber) primus nominatus est in progenie veniente de Sem, & prælatus est etiam filijs, cum sit quintus nepos: nisi quia verum est, quod traditur, ex illo Hebreos esse cognominatos, tanquam Hebreos, cum & alia possit esse opinio, ut ex Abraham tanquam Abrahæ dicti esse videantur. Sed nimis hoc verum est quod ex Heber Hebrei appellati sunt: ac deinde una detracta litera Hebrei. Et porro cap. II. primus est commemoratus Heber, cum sit abnepos ipsius (Sem) hoc est ab ipso quintus inveniatur exortus. Quia ergo in ejus familia remansit hæc Lingua, divisus per alias lingvas ceteris gentibus: quæ lingua prius humano generi non immerito creditur fuisse communis, ideo deinceps Hebreæ est nuncupata. His similia & Hieron. quæst. Heb. T. 3. p. 381. & alios censuisse patres constat, pariterq; loquitos esse statim ex occasione videbis

IV. Secundò ipsa Historia: Hebraicam enim lingvam omnium esse antiquissimam, & non modo primos nostros parentes; sed & universam eorum posteritatem ad confusione usq; lingvarum, ultra septendecim secula, hâc solâ lingva fuisse usos testatur *advrōw-*
s@. ἦτι ἀνθερινὸς Moses Gen. xi. 1. Erat autem univer-
 sa terra unius labij sermonumq; eorundem. Ubi etiam valde εμφατικῶς additur v. 7 & 9. in ædificatione Bab-
 el primum confusum esse labium universæ terra, i. e. in-
 terp. B. Meishn. tum primum divisum, & varium mul-
 tiplexq; esse coepisse, quod antea simplex, indivisum &
 unum fuerat. Non infallibilius pro antiquitate lingvæ
 hujus adduei argumentum potest, quam si statuatur fir-
 mitèr eandem ab initio mundi solam floruisse, & non
 fuisse usurpatam aliam. Huc spectat quod Chrysost.
 hom. 30. in Gen. super his verbis commentatur: con-
 stat hinc, ait, ante extructionem Turris Babel unam fuisse o-
 mnium hominum naturalem lingvam, eadēq; omnes mortales
 fuisse usos. Et Bellarm. I. 2. De verb. D. c. 1. Antiquissimam
 atq; adeò primam omnium esse lingvam Hebraicam testatur cum
 brevitas atq; simplicitas, tum auctoritas doctissimorum virorum.
 certum enim est eruditissimos quosq; etiam inter or-
 thodoxos huic sententiæ subscribere, idque non sine
 prægnante causa: primævam enim illam omnibus ho-
 minibus ante γλωσσούγχυτω, eamq; communem, lin-
 gvam fuisse hebræam, præter alia documenta assevera-
 re solet ex ὄροματολογίᾳ primorum parentum ac pa-
 triarcharum, fluminum, populorum ac gentium, ipsorum
 etiam brutorum nomenclaturā, cuius in alijs lingvis
 vestigia quædam adhuc superesse B. Gerhard. affirmat in
 Meth. Stud. Theol. p. 41. eodem arguento utitur D.

Polycarpus Lyferus comment. in c. II. Gen. Quia verò ait, jam confusio illa est introducta, queritur quanam inter omnes lingvas fuerit illa primogenia & antiquissima? Et de hac quæstione adhuc hodiè inter doctos disceptatur. Licet autem pa-
rum referre videatur, quanam fuerit prima lingua: quia ta-
men opera Domini sunt magna, & investigata omne beneplaci-
tum prabent, ideo non obest etiam simpliciores de eo informari.
Est autem hoc argumentum infallibile, quia Moses ante confu-
sionem ponit aliquot nomina propria, & ea juxta proprietatem
linguae primogenie interpretatur, quod illa lingua fuerit prima
ex qua nomina illa, juxta illam significationem, derivationem
sortita sunt. Ita Adamo inditum fuit nomen à terra, è qua
fuit formatus. Hœva post lapsum dicta est mater omnium vi-
ventium. Cainus accepit nomen à possessione, Seth quia Deus
posuerit aliud semen pro Habele. Noachus accepit nomen à
quiete & consolatione. Ergo in quacunq; lingua hec vocabu-
la ita accipiuntur, illa etiam est prima. Hæc autem est He-
braea. E. illa est omnium antiquissima. Pariter Do. D. Da-
vid Rungius in prælect. in Gen. c. II. v. I. disserit: Re-
spiciunt quoq; ait, hæc verba ad omnia retro secula, quod ni-
mirum ante & post diluvium homines unâ cädemq; lingua usi-
sunt. Eam autem fuisse Hebream & non aliam ostendunt No-
mina propria, eisq; additæ interpretationes & rationes. Quare cura-
bominum, qui sic appellantur, antiquitas noscitur, simul etiam
lingue antiquitas demonstratur. Conf. Theod. quest. 59. in Gen.

V. Hinc Meritò ridetur Psammetichus Ægyptio-
rum Rex quod lusu potius quam Experientia conatus
sit phrygium sermonem esse omnium antiquissimum
probare: Nimirum duos infantes, referente Herodoto lib.
2. Pastori educandos tradidit, severissimè & sub requisitâ pra-

statione juramenti precipiens, ne quis audientibus illis, ullum loqueretur verbum, sed ut in solitariâ quâdam casâ caprarum uberibus nutritarentur: Cum verò adesset tempus quo alias pueri incipiunt fari, forte esurientes vocem Bec, Bec, que phrygium lingvâ panem significat, à caprarum sonitu mutuatam ediderunt; judicavit indè Rex eam lingvam esse homini naturalem & antiquissimam. Verum mittit nos Moses ad certiora principia, dico loco. Theodoretus verò q. 60. in Gen. asserit Syriacam lingvam Adamo & reliquis patribus fuisse vernaculam, Hebræam verò in sacrificiolum usitatam & in libris reconditam; sed aliud constat ex Gen. c. 31: 47. Ubi cumulum lapideum Laban Syriaçè appellavit jeghar Sahaduta; Jacob verò Hebraicè invocavit nomen ejus Galghed.

VI. Si quis verò nobis obijciat i. Quod Moses cap. præced. Gen. 10. v. 5. dicit: Septem filios japheti divisisse insulas gentium in regionibus suis, singulas secundum lingvas & cognationes suas. 2. Mosen hic ῥηγμα quâdam seu anticipatione fuisse usum, vel indè constat, quod a. Spiritus S. qui per Mosen locutus est, à seipso nequaquam dissentiat, multo minus contradictionis alicujus insimulari vel debeat vel possit. 3. S. literæ frequentè per ὕστερον ἀρχότερον ita quâdam commemorare solent, ut secundum literæ superficiem ante videantur evenisse, quam revera contigerunt. E. G. Exod. 24: 7. fit mentio libri Vet. Testamenti, quod Deus in monte Sina pepigit cum filijs Israël. Ast Exod. 34. cum Deus verba Decalogi scriberet in tabulis, Moses non dum scriperat volumen istud foederis, sed tum primum accipit mandatum scribendi. Ambigere ergo non

gò non est opus, quæ Exod. 24. de scriptione & dedica-
tione voluminis asseverantur, gesta esse post ea, quæ
c. 34. describuntur. Quod & Augustinus lib. XVI. de
civ. Dei. c. 4. super cap. II. Gen. observavit, initio di-
cens: *Cum ergo in suis linguis istæ gentes fuisse referantur,*
redit tamen ad illud tempus narrator, quando una lingua o-
mniū fuit: & indè jam exponit, quid acciderit, ut lingua-
rum diversitas nasceretur. Et erat, inquit, omnis terra labi-
um unum &c.

VII. 2. Quod Augustinus d. l. c. 43, & ult. asserit
lingvam Hebræam inventam esse post tempora Noë?
Non indicare voluit divus pater eam lingvam ante
non fuisse; sed solum tum primum coepisse vocari He-
bræam. Adeoq; sic rectè Eucherius in c. II. Gen. *An-*
te confusonem, ait, lingvarum, Lingua Hebreæ communis e-
rat omnibus hominibus, ideoq; non habebat certum nomen: At
tempore Heber cum multa linguae esse cœpissent, illa commu-
nis, ad distinctionem aliarum, dicta est Hebreæ quia mansit in
solâ domo Heber, undè Hebrei dicti sunt. Huc quoq; spe-
ctat quod elegantè in eandem censuram commenta-
tur Philastrius, Episcopus Brixiensis, injustè à B. Ger-
hardo in Tract. de Meth. St. Th. p. 40. erroris notari
*visus, quasi qui plures ab initio lingvas fuisse conter-
derit, & pro hæretico habuerit, si quis unicam fuisse*
lingvam ante Babel extructam dixerit. Sic enim ex-
pressè ait, eodem à Dn. D. Gerhardo cit. loco, nempè
in catal. Hærel. c. 106. pag. 50: Ab Adam usq; ad Heber
*(duo, per incuriam Typ.) millia & septingenti anni transie-
runt. Erat ergo nomen lingua omnium hominum unum & u-*
na lingua. Ex quo autem contra Dominum cogitaverunt
subtra-

subtracta est illis scientia ista cœlestis, id est, lingvarum omnium prudentia & sapientia: Et Heber quidem Sanctus, qui non discessit a Deo, secundum nomen ipsius Deus voluit genus ejus pullulare amplius, hoc quoque nomine primum in seculo nuncupari, ut ab Heber, qui non consenserat adificationi turris rebellantium, Hebrei nomine appellarentur. Prior itaque non solum paganis, verum etiam & iudeis, i. e. ante Septingentos annos Heber fuisse cognoscitur justissimus, qui in Dominum credens, & a coniuratione scelerorum hominum separatus, sui nominis primam a Domino nuncupationem meruit impetrare. Horum Abbreviator est D. Gerhard. Meth. St. Th. p. 43. in confusione illa lingvarum, ait, Babylonica & genium dispersione Hebraæ Lingua sinceritas in familiâ Heber conservata est, ex quo etiam dubio procul, hebraæ cognominationem sortita est.

VIII. Hic obiter sed tædiosè forte, ab hujus seculi pseudoprophetis de Praedamitis quæri potest: quam lingvam calluerint scilicet & usurpaverint illi? $\pi\gamma\alpha$. phantasia de hominibus ante Adamum existentibus, est arrygapo & blasphema. Quia a. qui primum invenit & applicuit nomina rebus, is omnium primò lingva usus & locutus est. Sed de Adamo verum est prius Gen. 2: 19, 20. E. post. β . Ne quis obvertat Adami nomen non proprium esse, sed appellativum idq; hominem semper significare, respondet S. Paulus. 1 Cor. 15: 45. $\pi\gamma\alpha\tau\pi\alpha$. $\pi\gamma\theta\pi\omega\pi\alpha\pi\alpha\mu$. γ . Si verò oggannijunt non potuisse alias Cainum reperire uxorem? $\pi\gamma\alpha$. 1. Non dum erat lex promulgata de vitando incestu, ne impediretur propago. 2. Sorores autem habuisse Cainum è Gen. c. 5: 4. constat. 3. Posito quod nulla facta earum mentio fuisset, à

set, à Testimonio tn. negativo non argumentamur firmiter. 1. Sin dicant Cainum ædificasse urbem, Gen. 4: 17. quod unius hominis opus nonne impossibile est? 2. Hanoch filius, à quo urbis denominatio facta, ei operam locare & urbis futuræ delineationem & quasi rudimentum facere potuit. 3. Sic Romulus Teste Livio, lib. 1. Hist. R. urbem condidisse dicitur, quamvis Remum habuit coadiutorem. Hoc his verbis insinuat ωλντσωρ: Romulum Remumq[ue] cupidō cepit, in ijs locis ubi expositi, ubiq[ue] educati erant, urb[is] condenda. Illud verò paulo post: ita solus potitus imperio Romulus; condita urbs conditoris nomine appellata. 2. Phrasis igitur ædificare seu condere urbem, h. l. est urbem fundare & consummandam ab alijs structuram inchoare. 3. IR. apud Hebræos, non semper significat populosam aliquam συμβιωσιν & civitatem, qualis Ierosolyma, sed & acquiescit in secundis & tertiijs &c. Tantum de lingvæ Hebrææ Antiquitate.

IX. II. Dignitas Lingvæ Hebrææ, quæ altera ejus affectio est, exinde conspicua fit, quod Hebræa nullam aliam, sed cœteræ omnes lingvæ illam matricem seu derivationis originem agnoscant. Hanc assertionem probant & antiqui patres, & recentiores Theologi. α. Pro illis solus loquatur divus Hieronimus qui in c. 3. Soph. inquit: *Hebraea lingua ut ceteris omnibus prior & vetustior est, ita lingvarum omnium mater existit, omnibus admista & quasi interspersa est, ut nulla gens sit, nulla lingua tam barbara tamq[ue] procul remota ab Hebreæ consuetudine, quæ non materna aliqua vocabula, h. e. Hebreæ, sive integra, sive corrupta retineat.* β. Pro his causam edisserat unus ex heterodoxis Rob. Bellarminus l. 2. de. V. D. c. 1. *Lingua Hebreæ omni-*

omnium fuit mater: reliqua verò hujus ferè quasi quedam idic.
piata & dialecti, quarum aliae affiniores, siveq; matri similliores
sunt, aliae longius ab origine sua deflexerunt. Alter ex or-
thodoxis, Försterus, in p̄f̄t Lex. Heb. scribit, ingentem esse
gloriam & felicitatem linguae Hebræa p̄c ceteris, quod ab a-
lijs linguis nihil mendicet aut mutuetur; aliae verò ab hac
multas voces mutuentur.

X. Duobus hic adversarijs obviam eundum est I. Pfochenio, qui in Diatribe de puritate L. Gr. in N. Te-
stamento pag. 2. & 3. tria regerit. a. s. 8. ait: Quod au-
tem reliquæ lingvæ ex Hebræa ortæ non sint, facile e-
tiam cuilibet patere potest. Etenim nullum adeo s.
τιθῆ καὶ θελγόμενον esse reor, ut sibi persuaderi patia-
tur omnes reliquias, prater Hebræam, lingvas diversil-
simas unoq; tempore, imò uno momento hominum men-
tibus à Deo in turri Babylonica inditas, ab Hebræa dimi-
nasse. R. I. Quod non potuisse diversæ Lingvæ ab
una scaturigine derivari, nisi facta fuisset per omniopo-
tentiam Dei lingvarum confusio. 2. Incredibilis hæc
res cæcæ rationi appetet, quæ nullum hic venerari my-
sterium vult, Deo verò nil impossibile esse credit Ma-
ria, negat Pfochenius; distingvè ergò Miraculum à Na-
turâ. Admirandam in singulis hisce agnoscunt eruditii
potentiam Dei; ideoq; Augustinus lib. XVI. de civ. D. c.
4. circa finem ait; Per lingvas divise sunt gentes, disper-
saq; per terras, sicut Deo placuit, qui hoc modis occultis no-
busq; incomprehensibilibus fecit. Ac mirum sane, ait D. Run-
gius de Dispers. Gent. Gen. II. v. 8. hoc temporis intervallo,
quarta tantummodo generatione potuisse eis numerum homi-
num tantoperè augeri, ut se in 70. populos diffunderet, quorum

principes c. 10 sunt numerati, & in tantum crescere! Revocat, dicente eodem Rungio, hac p̄na memoriam beneficij divini, qua Spiritus S. effusus super Apostolos subito lingvarum omnium notitiam restituit. Neutrum verò caruit miraculo. *B. s. 9.* dicit Pfochenius: Accedit insuper etiam hoc, quod exigua admodum inter tot lingvas sit convenientia. Certe quamvis in tantâ sonorum diversitate, interdum radix seu thema unum, lingvæ alicujus eum Hebræâ cognationem habere videatur; centum & mille tamen è contrario sunt, ubi ne vestigium quidem Hebræi sermonis deprehenditur ullum. Exempla infinita si chartæ paterentur angustiæ, produci possent. *B. s. 1.* Ex ḥz̄φων vocum, ad discripantiam omnimodam lingvarum non semper v. c. 2. Si major reliquarum cum lingvâ Hebræâ fuisset convenientia, debilior fortè diceretur ei divina potentia, quippè quæ confusionem non fecisset notabiliorem. 3. Quædam ergo voces Hebrææ, quamvis pauciores, in reliquis lingvis sunt retenitæ integræ; quædam per ḥz̄ματα nonnihil immutatae, ut supra de origineling. ostensum; quædam verò ita sunt intricatae, transpositione literarum syllabisq; de industriâ variatae & intorta, ut quamvis ratio deflexionis hujus, ad regulas nonullas quodammodo videatur posse reduci, ut initio Exercitationis de lingvâ latinâ factum est; soli tamen transgressionum vindici, omnipotens Dei justitiæ exsecutio propria est. Illud de primâ origine; hoc de lingvarum verâ confusione; istud de origine & confusione simul testimonia ministrat. *B. s. 10.* inquit: Et hoc quidem adeò verum est, ut ij qui ad Hebraicam omnem alias lingvas revocare student, non solummodo maximam partem allusiones, sed persœpè etiam longè petitas,

petitas, allusionumq; nomine vix dignas in medium protrahant, atq; ferè sic φλυαρέεν nugasq; divendere vi-deantur. *R. 1.* Ab hujus vel illius auctoris minus ritè ad-hibitis allusionibus, ad totum originationis sive artifi-cium sive studium improbandum, non v. conseq. vetus enim est Canon: argumentari à particulari ad universa-le N. V. C. *2.* Distingve igitur, inter allusiones proba-biles & ridiculas seu falsas. *3.* Plures autem eosq; pro-babiliores ac multo evidentiores dari derivationis mo-dos, quam allusivos, supra c. l. docui; quibus aut de-monstret Pfochenius contrarium; aut φλυαριας suas re-sorbeat. *4.* Majestatem sapientiae & potentiae divinæ (quippè quæ in minimis maxima esse sàpè solet) cele-brare non est nugari: At duas & viginti literas, tot tamq; diversissimarum lingvarum posse sistere genealo-gias, est majestatem sapientiae & potentiae divinæ cele-brare. *E.* Hoc idem non est nugari.

XI. II. Salicæs, Archiepiscopo Toletano, qui Gothi-cas literas omnium primas fuisse arbitratur; & alijs nonnullis qui lingvam Svecanam autumant esse originalem. a. Ille procul dubio deceptus è suspicione de vetustate Runarum fuit. *R. Verum enim verò, characteres literarum Sveo gothicos de antiquitate cum quavis alienâ gente posse certare non diffiteor; Figuris verò, quibus usus est Dei ipsius digitus & Moses, eos antecessisse, nullâ ve-ritatis specie persvaderi potest: posito verò quod Sveci à dispersione gentium, statim sibi literas effinxerint, lin-gvæ tamen id derivationi aliundè, nihil demit, cum scriptio lingvis accidat, & planè accessoria sit. β.* Hi verò sic argumentantur: *Quaeunque lingua dicitur a Mo-*

se tempore struenda turris Babylonicae fuisse confusa, ea amplius non manet. At lingua primæva dicitur a Mōse, tempore struenda turris Babylonicae fuisse confusa Gen. ii: 9. Et Lingua primæva amplius non manet. Et per conseq. Quæcunq; lingua hodierno die frequentatur & manet, ea nunquam fuit primæva. At lingua Hebræa hodierno die frequentatur & manet, E. lingua Hebræa nunquam fuit primæva. Et rursus per conseq. Non ante cœpit lingua Hebræa, quam vel lingua Gothicæ, vel aliae oriebantur. Unde lingua Sveo Gothicæ ab Hebræa originem non traxit, sed patiū est originalis.

R. i. Propositionem majorem prioris syllogismi fallere per $\psi\epsilon\nu\delta\eta\pi\epsilon\tau\alpha\pi$ textus: quamvis enim Gen. ii: 9. *Labium universæ terræ dicatur fuisse confusum*, & non tamen id intelligendum erit de lingua Patriarcharum Noë, Semí, Arphaxad, Salæ & Heber, qui, magno consensu Theologorum, in ædificandam turrim non consenserant, ideoq; lingvam Hebræam retinentes ad posteros eandem transmiserant. Sed aliorum Ghāmi & Nimroditorum, Gen. io: 10, & c. ii: 2, qui statim una cum reliquis dispersis populis hebraicè per confusionem loqui desierant.

R. ii. Aliud igitur est dicere: *Labium universæ terra;* id est sermonem hominum incolentium totam terram; aliud vero libitem universum terræ fuisse confusum: prior phrasis est $\iota\pi\gamma\pi\alpha\varphi\circ\circ$; posterior est $\omega\pi\pi\gamma\pi\alpha\varphi\circ\circ$, ne dicam $\alpha\pi\pi\gamma\pi\alpha\varphi\circ\circ$.

R. iii. Confundere labium non est creare novas lingvas: Theodoretus enim citante Rungio in c. iii. Gen. p. 375. observat, quod Dominus dicit se non daturum novas lingvas, sed velle confundere sermonem: judicat autem verba ita fuisse confusa, ut tamen aliquid ex principali-

lingva

lingvā Hebræa, singula retinerent, quod & docti Grammatici ostendunt, quomodo ex fontibus Hebræis reliquarum lingvarum appellations fluant. Pariter loquitur Policarpus Lys. in Gen. c. II: v. 7. ad verba: venite descendamus p. 425. Non creabimus, ait, novas lingvas, tantum miscebitus literas & mutabimus pronunciacionem, ut non amplius se mutuo intelligant. Sicut omnino certum est reliquias lingvas omnes, maximâ ex parte ex primogenia, tanquam rivulos ex fonte profluere: & docti quovis tempore hoc studio delectati sunt, ut investigarent, quomodo per inversionem, transpositionem & mixtionem literarum, inter lingvas maximè peregrinas, summa esset quæd radicales literas cognatio. R. 2. Propositionem minorēm non esse intelligendam de totâ lingvâ primæva, sed de toto lingvæ primævæ; quod tamen retinentiam paucarum vocum nequicquam tollitur. R. 3. Propositionem Majorem posterioris Syllogismi, quo petitur principium, fundari in non concessâ hypothesi: Contrarium enim antea patuit, tum ex ipsis nominibus rerum & personarum proprijs, eisq; adjunctis rationibus. & interpretationibus; tum ex consensu patrum & variorum authorum. Quibus accedat Berossus antiquissimus. Scriptor: is enim non obscurè testatur, terram ante diluvium vocatam fuisse Arez, & ignem Esch, quibus nominibus Hebraicis in hunc usq; diem easdem res exprimunt Judæi. Verba autem illa Berossi, persequuturi causas cognominum Noæ ac Tytheam uxoris ejus, extant lib. 3, de antiqu. jani patris & cognom. p. 24. ubi inquit: Neq; minus Tytheam, qua mater omni-

um erat, ARETIAM, i.e. terram vocabant, & ESTAM, i. e. ignem post mortem cognominaverunt; quia ipsa regina sacrorum fuerat, & puellas docuerat sempiternum ignem sacrorum inextinctum servare Conf. Fridlib. qui super verba Gen. c. II: 9. vocatum est nomen ejus Babel, ait: videtur hæc vox servata è lingvâ primâ, unde manârunt ista in lingvis varijs βαβαὶ, Balbus, Babel &c. Et cl. 7. quæst. 7: Delevit Deus ex animo architectorum habitum Lingvæ Hebrææ, omnibus prius communem. Hæc de dignitate.

XII. III. Sanctitas hujus lingvæ, præterquam quod partim sit ab *objecto* i. e. rebus sacris & divinis mysterijs, è quibus doctrina V. T. constat; partim ab *effectu*, quod sanctificet, Joh. 17: 17. Maxime tamen petitur ab *efficiente*, cum à pérse procreante, tum conservante Deo O. M. undè statim ardua illa quæstio, diu multumq; inter nos & adversarios, præsertim pontificios vexata, oritur de sermonis Hebræi integritate: An scilicet Deus hanc lingvam ita semper conservaverit, ut Textus V. T. originalis & Hebræus, etiam hodierno die, integer extet, inviolatus & incorruptus?

XIII. Affirmant Doctores pontificij textum Hebræum V. T. vel à judæis odio christianæ religionis, in multis Scripturarum locis, esse studio depravatum, ut pote Melchior Canus, Lindanus, Huntlaus &c. vel negligentiâ librariorum, propter literarum similitudinem, aliâ quæ incuria; partim ignorantia Rabbinorum, qui puncta addiderint, errores contraxisse perhibent, ut cum Driedone statuit Bellarminus Lib. 2. de V. D. c. 2. §. Nos, loquendo de universali corruptione, quæ omnia

Exem-

Exemplaria penetrarit, hoc ipsum pernegamus, hisce
 & vnuōtūnōs suffulti rationum momentis: 1. Super quo-
 rum doctrinam in rebus fidei sumus superstructi, illo-
 rum doctrinam & scripta, divina providentia labefacta.
 ri non permisit. At exstructi sumus super doctrinam
 non solum Apostolorum, sed & proprietarum Eph. 2:
 20. E. 2. Si corruperant aliquando Judæi scripturas,
 vel id fecerunt ante Christi adventum, vel postea: Sian-
 te, quare Christus & Apostoli nunquam eosdem eapro-
 pter reprehendorint, præsertim cum leviora crimina non
 tacuerint? Cui etiam credibile erit Christum Joh. 5: 39.
 & Matth. 23: 2, 3. ad scripturas corruptas sine ullâ præmo-
 nitione legendas homines invitasse? vel ad corruptores
 audiendos & sequendos amandasse? Sin autem post
 Christi adventum id factum est, quare testimonia quæ
 à Christo & Apostolis citantur, eo modo quo sunt ci-
 tata, in Mose & prophetis inveniuntur? Hoc argumen-
 to usum esse Origenem lib. 8. in Esaïam refert Hierony-
 mus in c. 6. Esa. Tom. V. Fol. 14. addens: *Sin autem di-
 xerint post adventum Domini Salvatoris, & prædicationem
 Apostolorum, libros Hebræos fuisse falsatos, cachinnum tenere
 non potero, quod Salvator, Evangelista & Apostoli ita testi-
 monia protulerint, ut judæi postea falsaturi erant.* Conf.
 August. lib. 15. de civ. D. c. 13. Si quæram &c.

XIV. *Inflantia.* Dicat quis istos codicum Hebræo-
 rum errores post Augustini & Hieronimi tempora ac-
 cidiisse? R. 1. Augustini rationes semper valere: a Neq;
 credibile esse judæorum gentem tam longè lateq; diffusam in
 hoc mendacium conscribendum uno consilio potuisse conspira-

re. B. Nequè 70 homines (interp.) qui etiam ipsi iudæi erant, in uno loco positos ipsam veritatem gentibus alienis invidisse, & communicato istud tunc fecisse consilio? R. 2. Si post illorum tempora depravatio illa contigisset, quæ causa reddi posset, cur Psalmorum interpretatio Hieronimi, cum textu hodierno Hebreo per omnia quadret, & tamen de depravatione Psalmorum præcipue Papistis querelæ extent?

XV. 3. Si iudæi S. literas voluissent corrumpere in odium Christianorum, procul dubio sustulissent præcipua vaticinia de Messia; id autem non est factum. E. conf. loca. Psal. 2: 12. Esa. 53: 4. Ubi in latino legis: putavimus eum q: leprosum & percussum à Deo & humiliatum; in fonte legitur: Mycchek Elohim umeynneh, percussum Deum & Humiliatum, quod magnum iudæis facessit negotium, qui Christum futurum Deum non credunt. Sic in priore loco Græci & Latini habent: Apprehendite disciplinam, ne irascatur Dominus. At in Hebreo est: Nascheku bar, oculamini Filium i.e. Reverentiam exhibete filio Dei, ne irascatur, qui locus, judice Bellarmino ipso, invictissimus est. 4. De incredibili alias iudæorum religione erga sacros lib. scribit Philo de egressu fil. Israël, (& citatur ab Eusebio lib. 8. c. 2.) uig, ad sua tempora per spacium amplius 2000 annorum, ne verbum quidem fuisse unquam in lego immutatum; & quemlibet etiam iudæum centies potius moriturum, quam ut pateretur legem in aliquo mutari. De superstitione autem iudæorum recentiorum, qui legem ferè ut Numen adorant, & si quando in terram ceciderit, jejunium publicum indicant, testatur Experiencia. Conf. Bellarm. lib. 2. de V. D. c. 2. cuius authoritatem in hoc passu, Esawitz eot. libenter è medio tollerent.

XVI. Ne-

Ad D N. R E S P O N S O R E M

Platinum suum

Ingenio studioq; præstantissimum:

Quo minus est auctus, fontiq; propinquior
amnis;

Hoc sine forde putri, purior ille fluit:

Quô magis accedunt Adamitica verba libelli;

Hôc homines melius de pietate docent.

Biblia sanctarum cum sint præstantia & ipsum,

Quas Tu lingvarum diligis ecce PETRE,

Verus amor tibi sint; nec verus habendus amicus

Quisquis ad extremum non amat usq; rogum!

*L. Mq.
P R A E S E S.*

Non est cuiusvis sacram pernoscere Lingvam,

Res illa ingenij est, judicijq; boni,

Hanc Tu, castalij flos jucundissime, Petre,

Scilicet en monstras, ingenij esse tui!

Cum de cœlesti, madefactâ fontibus ipsis,

Lingvâ dulcisonâ, differis egregiè,

Rite viamq; doces, quæ fert ad limina sacra,

Nativisq; suis Biblia scire tonis.

Gratulor ergo tibi, quod candida pulpita scandis,

Et voveo ut cedant prospera cuncta tibi.

Populari ac amico meo svavissimo pauca

hæcce gratulabundus apposui

O L A U S W A L L I N U S.

Arti-

ARIBUS ingenuis animum coluisse, & ab annis
Quid prodest teneris, comprobat esse tuus
Discursus solers, PLATINE sodalis amande;

Dum linguae sanctæ sic reseras adyta :
Macte igitur virtute piâ, tua virtus adibit

Culmina pieridum, quod Decus inde manet.
Adspiret coepitis director summus honestis,

Ut labor Eusebii præmia digna ferat.

Sinceri cordis Adfectus exiguum
Signum reliquit

P E T R U S B O D E L I U S.

Vite hominum quantas venenosa superbia turbas
Struxit, ineptus erit, qui memorare nequit :
Missis quippè aliis, quæ monstrant dogmata, multis
Id; De quis hoc sat proposuisse juvat.

Hac quod Lingua Patris primi est turbataq; Matris;
Verba patris gnatis ne patuere suis.

Cujus cum Rivos linguae sis ausus apertos

Reddere tig; aliis, perbenè PETRE facis;

Nec mittas ullam, quæ spectat ad hinc, medullam
Enucleare; Quis est qui removere potest

Ex opere hoc laudes? Quod splendet acumine mentis

PLATINI tam acri, spem facit ecce! viri.

Hinc tu latus sis præmia, honorq; futurus.

Te expectat. Pergas sic voveo & valeas!

Ita Fraterno ductus Amore fe-
stinus concinui

S U E N O J A C. F A G E L I N U S.